

I.

Apamea Myrleanorum colonia juris Italici.¹⁾

Legenti mihi ea, quae Marquardtus, vir clarissimus in antiquitatibus III., 1 p. 262 sq. de jure Italico disputavit Taciti locus ann. XII, 58, a quo ipso quaestio pendet, num urbibus juris Italici tributum pendendum fuerit, accuratius examinandus esse videbatur. Ut autem verba Taciti ipsa adscribam, eodem oratore Bononiensi coloniae igne haustae subventum centies sestertii largitione, redditas Rhodiis libertas adempta saepe aut firmata, prout bellis externis meruerant aut domi seditione deliquerant, tributumque Apamensibus terrae motu convulsis in quinquennium remissum²⁾ nemo editorum, quatenam illa Apamea fuerit, commonstrare conatus est, ut aut Bithynicam, aut Phrygicam, aut aliam Apameam inter septem hujus nominis urbes a Tacito notatam esse, suspicari liceat. Quamvis autem, quatenam Apamea illa, quam Tacitus exhibet, fuerit, satis difficile sit adjudicatu A. W. Zumptii et Marquardti sententiam,³⁾ coloniam Apameam in Bithynia provincia sitam a Tacito notari, parum mihi arridere, ingenue confiteor. Primum enim vix ac ne vix quidem crediderim, eundem Tacitum, qui in proxime ante cedentibus Bononiae titulum, coloniae addere non neglexit, in alia urbe, quae iisdem, quibus Bononia juribus utebatur, negligentia quadam omisisse, imprimis quum Apamea Bithynica nonnisi coloniae titulo addito a septem ejusdem nominis urbibus discerni posset, nisi fortasse ita ceteris Apameis magnitudine et splendore praestiterit, ut quisque statim de Apamea Bithynica cogitaret, id quod statui non posse, in sequentibus docebo.

Quo minus autem tanto negligentia crimine Tacitus arguatur, praeter universam huius loci naturam et scriptoris dignitatem permulta obstat videntur, quibus docemur, semper a Tacito iis urbibus, quae coloniarum juribus fruerentur, nisi fortasse brevi autem eas commemoraverit, titulum coloniae esse additum, ut coloniae Bononiensis³⁾ permultarumque aliarum coloniarum⁴⁾ exempla comprobant.

Deinde autem ad suspicionem, Apameam illam a Tacito denotatam non coloniam, sed tributariam urbem fuisse, et ea potissimum res nos remittit, quod cum Bononiensibus, utpote colonis Romanis ceteris provincialibus multo dignitate antecellentibus nec nisi tributo soli obnoxii ingenti

¹⁾ Quum de antiqua Myrlea Mennius in Propontiacis bene egerit, res notas repetere nolui, nec nisi ea in commentatione mea tractavi, quae ad jura et conditionem provinciae Apameae coloniae juris Italici pertinerent, quippe quibus ipsis accuratius constitutis ad quaestionem de jure Italico aliquid lucis proficisci videretur.

²⁾ A. W. Zumpt comm. epigraph. volumen p. 378, 390 et 486. Marquardt Handb. d. röm. Alt. III, 1 pag. 262 n. 23.

³⁾ Ann. XII, 58, ⁴⁾ Agrippinensis Hist. IV, 20, I, 56, Ann. XII, 27, Aquinas Hist. I, 88, 63, Viennensis Hist. I, 65, Lugdunensis Hist. I, 54 et 64, Taurina.

pecunia subveniretur, Apamensibus in quinquennium tantum tributum remissum esse, Tacitus enarrat id quod fortuitum esse, nemo mihi persuadebit. Iam ut ad argumentum, quod supra indigitavi, revertar „Apameam non adeo ceteris eiusdem nominis urbibus magnitudine et opibus praestitisse, ut nemo aequalium nonnisi de hac cogitare potuerit, etsi Bithyniam urbem maiorem oppidis ejusdem nominis in Mesene insula ¹⁾ Apamea ad Euphratem ²⁾ et Apamea Rhagiane, ³⁾ non nisi perraro a scriptoribus commemoratis, fortasse statuendum sit, ne maximam eam fuisse inter omnes Apameas statuam, permulta obstat videntur. — Quamquam enim vix Marquardto ⁴⁾ fides erit habenda, Apameam ad Orontem iam VI. p. Chr. n. anno in censu generali omnium incolarum imperii Romani a CXVII. millibus incolarum fuisse habitam, quum titulus in quo haec leguntur, jam Marinio et Orellio ⁵⁾ suspicionem quandam moverit, et ab omni veritate abhorreere videatur, tam nobilem civitatem nonnisi rarissime postea a scriptoribus commemorari, certe tamen Apameam Cibotum in Phrygia ad Maeandrum Bithynicam Apameam illa ipsa aetate splendore et magnitudine superasse, satis apparet. ⁶⁾ Quum enim Apamea Cibotus jam Ciceronis aetate inter maximas Phrygiae ⁷⁾ esset jurisdictiones e Strabone et Plinio ⁸⁾ id quidem colligi poterit, eam sub primis imperatoribus opes suas non amisisse, quum Plinii majoris aetate, inter urbes tributarias Phrygiae tum Asiae provinciae additae eximie floreret. In primis autem Dio Chrysostomus rhetor oratione XXXV. p. 69, R. ⁹⁾ Apameae Ciboti habita testatur, eam principem locum inter Lydiae Phrygiae et Cariae urbes tenuisse, unde id quidem apparet, nisi Apamea colonia Bithynica ei vel magnitudine vel splendore praestiterit, Tacitum in loco difficillimo ann. XII., 58, de Apamea Ciboto urbe omnibus Romanis notissima cogitasse. Apameam autem Myrleam coloniam in Bithynia opibus et magnitudine Apameae Ciboto, illa aetate, quam Tacitus significat, comparari non potuisse, inde colligitur, quod Apamea Myrlea anno demum 201 in rudibus antiquae Myrleae exstructa ¹⁰⁾ et haud ita multum post iterum a Triario, Luculli legato, igni et ferro deleta ¹¹⁾ vix centum et viginti annis tanta incrementa capere posset, ut Apameae Ciboto opes et magnitudinem aequaverit.

Quamquam enim haud ita multum post excidium colonia Apameam Myrleanorum deducta sit ¹²⁾, cui jam a divo Augusto jus Italicum donatum esse, suspicor, ¹³⁾ satis tamen notum est, hac ipsa aetate urbes in quibus conventus, ut Apameae Ciboti habebantur, plerumque coloniis opibus et splendore praestitisse ejus rei in Bithynia provincia Nicomedia et Nicaea luculentissima praebent exempla. ¹⁴⁾

His autem omnibus, si probaverim, Tacitum in loco annalium XII, 58, non de colonia Apamea Myrleanorum in Bithynia, sed de Apamea Ciboto in Phrygia cogitasse Zumptii et

¹⁾ Plin. h. n. V, 32. Amm. Marc. 13, 6. Plin. VI, 31. Ptol. V, 18. ²⁾ Plin. V, 22. ³⁾ VI, 7. ⁴⁾ Marquardt Röm. Alt. III, 1 p. 178 n. 32. ⁵⁾ Marini Atti del fratri Arvali II, p. 787. Orelli Corp. inscr. lat. N. 623 Huschke über den zur Zeit Christi gehalt. Census S. 32. ⁶⁾ Strabo et Plin. l. c.

⁷⁾ Strabo XII, p. 527. Dio Chrys. or. 35, p. 62, R. Plin. H. N. V, 29, 33. ⁸⁾ Ciceronis aetate jurisdictio Apamea saepius cum Cilicia provincia conjungebatur cf. Bergmann de Asiae praesidibus in Schneidewins Philol. Jahrg. 1842 p. 682. ⁹⁾ cf. Strab. et Plin. l. c. τῆς τε Φρυγίας προκαθίσθαι καὶ Λυδίας ἔτι δὲ Καρίας ἄλλα τε ἔθνη περιρικεῖ — καὶ τοῦτοις ἅπανι ἀγορὰν ὅμοις καὶ ξύνοδον παρέχουσι τοῦτο δὲ πολλὰς εὐδαίμονας πόλεις ὑπάρχουσιν ἔχει.

¹⁰⁾ Plin. H. N. V, 32. Eckhel doct. num. II, p. 442. Pertz Colophonica p. 48.

¹¹⁾ Polyb. XV, 21—23. App. Mithr. c. 83. Memnon in Phot. bibl. cod. 224 p. 739 R. ¹²⁾ Strabo XII, p. 564. Plin. hist. nat. V, 43, 149. Eckhel p. 496. ¹³⁾ Marq. III, 1 p. 262. Zumpt p. 348, 399, 486. ¹⁴⁾ Strab. XII, 565. Eckhel II, p. 436.

Marquardti sententia refutanda est, urbibus, sive coloniis iuris Italici tributum pendendum fuisse, id quod hoc uno Apameae exemplo perperam allato, probare conati sunt.

Quum autem his ipsis, quae modo disputavi, nequiquam quaestio de colonia Apamea Myrleanorum et de jure Italico, ad quod ipsum ex historia Apameae lucis aliquid proficisci videtur, exhausta sit, jam nonnulli Pauli et Ulpiani jurisconsultorum loci accuratius inspicendi sunt, quippe quibus Zumptius eximie abusus, non tantum res Apamenas, sed omnia, quae ad hoc usque tempus de jure Italico Savignius,¹⁾ Dirksenus,²⁾ Puchta,³⁾ alii⁴⁾ sagacissime et luculentissime docuerunt, confudit qua in re, ne arrogantius pro viribus, quas sentio, quam sint exiguae, egisse me credas, quippe qui ad difficillimam iuris Italici quaestionem studia mea revocaverim, id modo subijciam, me nequiquam de jure Italico nova proferre, sed nonnisi, quatenus ad meam rem pertinet, Savignii de jure Italico sententiam a Zumptii argutiis vindicare voluisse. Quod vero ius Italicum ipsum attinet, satis post Savignii⁵⁾ de eo commentationem celeberrimam in universum inter viros doctos, etsi in perpauca minoribus rebus a Savignio dissentiant, convenit, tribus capitibus ius Italicum, quod nonnisi coloniis Romanis tribui solebat, contineri „libertate immunitate et jure Quiritario“, quae privilegia cum Savignius semper conjuncta coloniis, quae iuris Italici fierent, donata esse, docuerit, fortasse cum Hoeckio sententia Savignii ita restringenda erit, ut libertate eas jam antequam ius Italicum acciperent, utpote colonias romanas usas esse statuamus. Quibus autem privilegiis cum ante Zumptium viri docti eas urbes, quae a scriptoribus et jurisconsultis inter urbes jure Italico donatas numerarentur, re vera et usas fuisse credidissent, Zumptius plerisque his coloniis ius Italicum abnegavit. Quum enim in digestis L. 15, 8 apud Paulum libro II. de censibus „in Lusitania Pacenses (sed) et Emeritenses iuris Italici sunt idem ius Valentini et Illicitani habent“ etc. omnes urbes iuris Italici a Paulo, ut iurisconsulto accurate loquente exhiberi sibi persuaserit iam Ulpianum (dig. L. XV, 1). „Sciendum est, esse quasdam colonias iuris Italici, ut est in Syria Phoenice. Est et in Bithynia colonia Apamena et in Ponto Sinopensis. Est et in Cilicia Selinus et Trajanopolis,“ minus accurate locutum esse, statuit, quod urbes ab Ulpiano nominatae, ut Apameae coloniae probetur exemplo⁶⁾ nonnisi libertate, non autem immunitate fuerint usae, quod negligentiae crimen Zumptium temere in Ulpianum coniecisse, quum autoritate et fide Paulum nequiquam Ulpiano praestare, consentaneum sit, satis probabile esse videtur. Deinde autem, quum loci Paulini natura, ita incipientis „in Lusitania Pacenses (sed) et Emeritenses iuris Italici sunt“ satis indigat, Paulum non omnes colonias iuris Italici enumerare voluisse. Quod vero Zumptius de coloniis ab Ulpiano enumeratis enarrat, eas nonnisi altera iuris Italici parte, libertate tantum usas fuisse, ab omni Zumptii ratione ipsa abhorret, quum potius illas urbes immunes tantum fuisse, si Ulpianus re vera negligenter narrasset ei statuendum erat, quippe quae sub titulo de censu enumerantur, cui ipsi arctiorem quandam vicissitudinem cum immunitate, quam cum libertate intercedere nemo non negabit. Haec autem si recte disputavi, non tantum Apamea, sed etiam ceterae, quae ab Ulpiano nominantur urbes re vera iure Italico, nec tantum parte eius fruebantur.

¹⁾ Savigny in Rudorffs Zeitsch. für Rechtsw. V. p. 251, und Nachtrag XII, S. 2—10; ²⁾ Dirksen Beiträge zur Kritik der Quellen des röm. Rechts, ³⁾ Puchta Institutionen I. p. 420. ⁴⁾ Walter Rechtsg. I. S. 326. Bethmann Hollweg Civilprozess d. R. I. S. 422. ⁵⁾ Savigny l. o.

⁶⁾ Hanc autem sententiam falsam esse, quum Taciti locus ann. XII, 58, ubi de tributo Apamenorum sermo est, non in coloniam Bithynicam Apameam Myrleanorum, sed in Apameam Cibotum cadat, supra docui.

Sed ut ad Apameam coloniam, unde evagati eramus, revertamur, Ulpiani autoritas nonnullis Dionis Chrysostomi et Plinii Secundi locis mihi confirmari videtur. Primum enim, Apameam libertatis privilegium tenuisse, uterque scriptor consentiunt, quum Dio in oratione Prusae ad Olympum habita, qua concordiam inter Prusam et Apameam dissolutam restituere conatus est, eximie Apamenos laudet, quippe qui urbem non parvam, sed eximiam incolerent, neque eodem quo ceterae Bithyniae civitates iure essent obstricti. Quenam autem haec Apamenorum libertas fuerit, accuratius Plinius ¹⁾ in epistolis ad Trajanum datis docere videtur, cui quum brevi post rem pecuniariam Apamenorum ordinare constituisset, Apameni habuisse se privilegium ac vetustissimum morem arbitrio suo rem publicam administrandi responderent, quo Apamenorum responso id quidem docemur, eos libera quadam reipublicae administratione per decuriones et duumviros fuisse usos, quum nemo proconsulum, qui ante Plinium in Bithyniam mittebantur, rationes urbis inspexisset. Hanc autem libertatem, etsi recte Eckhelius ²⁾ monuerit, nonnisi a principis nutu mandatisque pependisse, maiorem tamen fuisse, quam illa, qua ceterae Bithyniae civitates utebantur, tum e Dione et Plinii ad Trajanum epistola, tum Trajani rescripto, salvis Apamenorum privilegiis Plinio rationes eorum tractandas esse, perspicuum est. Iam autem, quod ad immunitatem Apamensiorum attinet, immunem Apameam fuisse, controversia inter Paulum et Ulpianum et Taciti loco XII, 58, recte explicatis statuere nihil vetat. Nihilo minus tamen Ulpiani auctoritati, apud quem legimus Apameam coloniam iuris Italici fuisse fulcrum quoddam ex Dione XL. 170 R. accedit, ubi Dio in oratione Prusae habita, postquam multa de vicissitudine Apameae et Prusae locutus est, ita pergit: „τοῦτο δὲ πολιτῶν τινῶν καὶ σχεδὸν τῶν δυνατωτάτων παρ' ἡμῖν τῆς παρ' ἐκείνοις τιμῆς τετραχρότων ὑπὸ τούτῃ ἄλλοι καὶ ἀβλαβῆ τὴν ἑχθρὰν ὑπολαμβάνειν“ quae verba mihi quidem ad censum Apamenorum cui Prusani quidam adscripti erant et quo ipso immunes fiebant, referenda esse videntur. ³⁾ Quodsi re vera Apameam eodem tempore et immunitate et libertate usam fuisse argumentis commonstravi, quod ad tertium caput iuris Italici, ius Quiritarium attinet, quod Zumptius urbibus iuris Italici abnegavit, iam Marquardtus III, 1 p. 263 sq. Zumptii sententiam redarguit, ut nihil quidem obstare videatur, quominus ad doctam et luculentam Savignii de iure Italico sententiam redeamus. ⁴⁾

¹⁾ Dio or. XL, 170 R. „ἔταν δὲ δὴ πρὸς ἀνθρώπους ἢ πόλιν οἰκοῦντας οὐ μικρὰν καὶ πολιτείαν ἐξαίρετον ἔχοντας καὶ παρὰ τοῖς ἡγεμόσι τιμὴν τινα καὶ δόναμιν ἐὰν σωρρονῶσι. Plin. X, 47, „Cum vellem Apameae, Domine, cognoscere publicos debitores et redditus et impendia, responsum est mihi, cupere quidem universos, ut a me rationes coloniae legerentur, nunquam tamen esse lectas ab ullo proconsulum: habuisse privilegium ac vetustissimum morem arbitrio suo rempublicam administrare. Exegi, ut quae dicebant, quaeque recitabant libello complecterentur. Te rogo ut mihi praecipere digneris, quid me putes observare debere. Vereor enim, ne aut excessisse aut non implese officii mei partes videar. Plin. X, 48 „Libellus Apameorum, quem epistulae tuae junxeras, remisit mihi necessitatem perpendendi, qualia essent, propter, quae volunt eos, qui pro consulibus hanc provinciam obtinuerunt, abstinuisse inspectione rationum suarum, cum ipse ut eas inspiceret, non recusaverint. Remuneranda est igitur probitas eorum, ut jam sciant, hoc quod inspecturus es, ex mea voluntate, salvis quae habent privilegiis esse facturum.

²⁾ Eckhel IV. p. 270.

³⁾ Valesius in emendationum libro II, c. 19, p. 71, vocem „τιμῆς“ ad honores coloniae Apameae refert, quibus Prusianorum nonnulli ornati sint, id quod statui non poterit quod tum non „τῆς τιμῆς“ sed τῶν τιμῶν legendum esset.

⁴⁾ Vix est, quod moneam, et Schoenemannum in commentatione de Bithynia et Ponto p. 95 et 96, eravisse, qui Apameam et Sinopen colonias iure Italico non usas fuisse statuit, etsi meam sententiam, quam olim cum eo communicaveram, Taciti locum ann. XII, 58 ad Apameam Phrygiae referendum esse, amplexus sit.

Quonam autem anno Apamea colonia iure Italico donata sit, nonnisi suspicari licebit. Quum enim primum colonia Apameam deducta esset,¹⁾ cuius autorem Julium Caesarem fuisse, Vaillantus²⁾ e numis in quibus „colonia Julia Apamena Concordia“³⁾ legitur, recte coniecit, haud ita ab omni veritatis specie abhorret, si Augustum ius Italicum coloniae Apameae tribuisse statuerimus, quem ipsum Dio Cassius⁴⁾ a. u. 734 privilegia nonnulla quibusdam Bithynicis urbibus donavisse, disertis verbis enarrat. Hoc autem argumentum etsi satis sit debile, nisi aliis confirmetur, ea potissimum re probatur, quod in numis coloniae Apameae ceteris titulis eius etiam novus „Augusta“ accedit, ita ut plenum coloniae nomen (C. J. A. A.) „Colonia Julia Augusta Apamena“ in iis legatur, unde facilis oboritur suspicio, Apamenses iure Italico ab Augusto donatos, illum titulum ex hac potissimum causa, ceteris, qui in numis leguntur titulis addidisse.

¹⁾ Strabo XII, p. 564.

²⁾ Vaillant num. vet. II, p. 38.

³⁾ Mionnet II, p. 412 n. 26, 32. Suppl. V, p. 10.

⁴⁾ Dio Cass. 54, 7. „Καὶ ἐς τὴν Ἀσίαν ἐν τῷ ἔτει ἐν ᾧ Μάρκος τε Ἀπολλόνηος καὶ Ποῦπλιος Σίλιος ὑπάτευσαν κομίσθεις πάντα τὰ ἐκεῖ (in Asia) καὶ τὰ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ διέταξεν τὰ τε γὰρ ἄλλα ὕσπερ καὶ προεῖχον ἦν ἐπιγνώρῃσιν καὶ χρήματα τοῖς μὲν ἐπέδωκε τοῖς δὲ καὶ ὑπὲρ φόρον εἰσενεγκεῖν προσέταξεν Fischer Röm. Zeittafeln p. 392.

⁵⁾ Mionnet II, p. 412, ff. n. 25, 28, 29.

⁶⁾ Octavianum Augustum permultis urbibus ius Italicum tribuisse Zumptius comm. epigr. p. 487 et Marquardtus III, 1 p. 262 docte comprobaverunt.

Quonam autem anno Apamea colonia iure Italico donata sit, nonnisi suspicari licebit. Quum enim primum colonia Apameam deducta esset, cuius autorem Julium Caesarem fuisse, Vaillantus e numis in quibus „colonia Julia Apamena Concordia“ legitur, recte coniecit, haud ita ab omni veritatis specie abhorret, si Augustum ius Italicum coloniae Apameae tribuisse statuerimus, quem ipsum Dio Cassius a. u. 734 privilegia nonnulla quibusdam Bithynicis urbibus donavisse, disertis verbis enarrat. Hoc autem argumentum etsi satis sit debile, nisi aliis confirmetur, ea potissimum re probatur, quod in numis coloniae Apameae ceteris titulis eius etiam novus „Augusta“ accedit, ita ut plenum coloniae nomen (C. J. A. A.) „Colonia Julia Augusta Apamena“ in iis legatur, unde facilis oboritur suspicio, Apamenses iure Italico ab Augusto donatos, illum titulum ex hac potissimum causa, ceteris, qui in numis leguntur titulis addidisse.

II.

Prusa ad Olypium montem sita.

Prusa urbs ad Olypium montem in regione Bithyniae fontibus calidis celeberrima sita, haud ita antiquo tempore, quo pleraeque urbes Bithyniae, condita esse videtur. Ut autem, quae exstant de origine et conditione eius testimonia componemus, vix credibilia Strabo¹⁾ enarrat, Prusiam antiquum Bithyniae regem, Croesi aetate eam condidisse, id quod parum probabile esse, e Memnonis loco, ubi illam regionem ipsam, in qua Prusa sita erat, a Nicomede I. Bithyniae demum adjectam esse, legimus.²⁾ Neque e Ctesiae loco in Photii excerptis cf. Indica c. 10 „*ἑμοίως καὶ ἐν Ἀἴτῃ καὶ Προύσῃ ἀνάγεται πῦρ*“ aliquid certi de Prusae urbis aetate colligi poterit. Primum enim, ne minimum quidem exstat indicium, Olypium, aut alium montem Prusae vicinum ignes eiecisse, deinde autem illa verba ipsa nonnisi in libris inferioris notae excerptorum Photii, neque in Ctesia ipso leguntur. Certe quidem e Strabonis loco id solum colligi poterit, fortasse Croesi aetate in ea regione, in qua postea Prusa condita est, antiquam quandam urbem sitam fuisse, nisi omnino verba Strabonis corrupta esse statuerimus. Utcunque autem haec sunt, Plinius maior et Dio Chrysostomus rhetor, cui utpote civi Prusano summa fides habenda est, Prusam ad Olypium non antem annum 190 a. Chr. n. conditam esse consentiunt. Quum enim Dio³⁾ Prusam recentiore demum aetate, Plinius Prusia rege ab Hannibale eam exstructam esse enarrat, probabile videtur, eam intra annos 190—183 a. Chr. n., quod temporis spatium Hannibal in Bithynia commoratus fuisse videtur, a Prusia, Hannibale sive suasore, sive adjuvante conditam fuisse, ad quam sententiam ipsam et numi imaginem Prusiae I. exhibentes nos remittunt.⁴⁾ Si quid autem suspicari licebit, ideo in regione montana et montibus ipsis munita a Prusia et Hannibale condita est, ut receptaculum esset in summis periculis.

Quaenam autem sortes Prusae sub sequentibus Bithyniae regibus fuerint, in scriptorum silentio parum constat. Anno autem 74 a. Chr. n., quo Nicomedis III (vel IV) testamento Bithynia Romanis relicta est⁵⁾ et Prusam a publicanis Romanis exhaustam esse, ex iis, quae de conditione

¹⁾ Strabo XII, p. 564. „Προύσα δὲ ἐπὶ τῷ Ὀλύμπῳ ἔδρυται τῷ Μυσίῳ πόλιν εὐνομούμενη, τοῖς τε Φρυγῶν ἄρχοις καὶ τοῖς Μυσσοῖς κτίσμα Προυσίου τοῦ πρὸς Κύρον πολέμῳ ἄνδρος.“

²⁾ Memnon p. 723 et 736 Scholia ad Apoll. Rhod. 2, 462. Croesi aetate nonnisi regnum Thynorum existit.

³⁾ Dio Chrys. 43, p. 317 Plin. H. N. 32, 43.

⁴⁾ Mionnet Suppl. V, p. 226 n. 1335 ff.

⁵⁾ Vell. Patere. II, 4, 1. App. Mithr. 7. Eutrop. 6, 5, 1. Ampelius lib. mem. 34, 3. Drumann Geschichte Roms IV, 315.

Bithynicarum urbium illa ipsa aetate nota sunt apparet.¹⁾ Quamquam enim iam anno sequenti copiae Mithridatis Magni Prusam occupaverunt, anno 682 Ponticis copiis pulsus, Romani redierunt.²⁾

Quod autem ad statum et conditionem Prusae urbis hac ipsa aetate attinet, neque a Q. Pompejo Bithynico, qui Bithyniam in provinciae formam redegit, neque a Lucullo, qui in urbes nonnullas beneficia contulit, libertatis aut immunitatis privilegio donata fuisse videtur, quum nomen Papirii Carbonis³⁾, proconsulis Romani, in numis eius legatur, nec omnino scriptores eam a iure provinciali ceterarum urbium exemptam fuisse, enarrent. Augusti autem aetate, qui res Asiae et Bithyniae accuratius ordinavit, Prusam in meliorem statum pervenisse, tum ex iis, quae apud Dionem⁴⁾ in universum de hac re leguntur, tum ex Strabonis⁵⁾ loco apparet, quo ipso bonas urbis instituta et leges notari, vix est quod moneam, quamvis quatenus illae fuerint, constitui non possit. Neque insequenti aetate a Dionis Chrysostomi avo, qui apud (Claudium?) imperatorem plurimum valebat, libertatem Prusanis impetratam esse Kuhnio⁶⁾ credam, quum in loco Dionis,⁷⁾ quo Kuhnus in hanc sententiam seductus fuisse videtur, nonnisi id legatur, avum Dionis de impetranda libertate Prusanorum cogitavisse. Si quid autem video, Prusa usque ad Trajanum imperatorem majiori dioecesi Nicaeae, sive Nicomediae erat adjecta,⁸⁾ neque ante hanc aetatem iurisdictionem propriam ei fuisse, Schoenemann⁹⁾ concedendum erit, quum dioeceseos iura Traiano demum imperatore Prusanis donata esse Dio¹⁰⁾ satis aperte significet.

Quod autem ad iura dioeceseos ipsa attinet, Prusani inde a Traiani aetate propria iurisdictione, quae magistratibus et decurionibus delata fuisse videtur, utebantur, nec non vicinis pagis et oppidulis Prusae ius dictum esse statui poterit.¹¹⁾ Qua re autem ipsa necessarium factum est, ut bule, centum decurionibus sive buleutis augeretur¹²⁾ quibus singula et bina millia denariorum in aerarium inferenda fuisse, a Plinio docemur. Quum autem et ea oppida, quae Prusae vicina erant, in hanc civitatem ipsum contribuerent, Prusanorum opes brevi temporis spatio eximie augebantur.¹³⁾ Praeter magistratus autem buleutas, et concionem populi Traiani aetate ali-

¹⁾ Memn. p. 723, 736. Cic. epp. ad Dio 13, 9, cf. Marquardt III, 1, p. 242.

²⁾ Dio Cass. 54, 7.

³⁾ G. Papirus Carbo a. u. c. 697—699 Bithyniae praefuit cf. Eckhel d. n. II, 432. Mionnet descr. des méd. II, 479. Pighii annales ad a. 696, cf. Sanclement Mus. Sanct. II, 4, 269.

⁴⁾ „Προῦσα δὲ ἐπὶ τοῦ Ὀλύμπου πόλις εὐνομούμενη.“

⁵⁾ Emil Kuhn Beiträge zur römischen Verfassungsgesch. p. 57.

⁶⁾ Dio or. 44, p. 196 R. ὁ γοῦν πάππος ὁ ἐμὸς εἰ ἐπὶ πλείον ἀπόνειτο τῆς φιλίας τοῦ τότε αὐτοκράτορος, ἀλλὰ μὴ βραχὺς παντελῶς ἐγένετο ὁ χρόνος, διανοεῖτο ὡς φασιν, ἐλευθερίαν τῇ πόλει λαβεῖν cf. 45 p. 203.

⁷⁾ Dio 40, p. 175.

⁸⁾ Schoenemann p. 83.

⁹⁾ Dio 40, p. 175. „καὶ μὲν τὸ νῦν συμβεβηκὸς περὶ τὴν ἡμετέραν πόλιν — κνίξει τοὺς ἄλλους πάντας, ὅτι δὴ τὰς δίκας ὑμεῖς ἀποδέχεσθε καὶ παρ' ὑμῖν αὐτοὺς ἀνάγκη κρίνεσθαι cf. 44, p. 199 R. τὰυτὰ γὰρ νῦν ὑμᾶς ἐπιτηδεύοντες πλέον ὀνήσει καὶ τοῦ πλήθους τῶν βουλευτῶν καὶ τοῦ παρ' ὑμῖν πράγματα ἄγεσθαι καὶ τοῦ προσοδόν τινα χρημάτων ἐξωθεν ὑμῖν ὑπάρξει καὶ τῆς ἐλευθερίας αὐτῆς, ἐὰν — τούτου τύχητε ποτε cf. 45, p. 207, 48, p. 237.

¹⁰⁾ (cf. Dio 40, p. 175.)

¹¹⁾ Plin. X, 112. Dio 45, p. 201.

¹²⁾ cf. Dio 44, p. 199 R. Plin. 113. Dio 45, p. 211. De officiis decurionum cf. Roth de re municipali et Marquardt III. p. 365 ff. cf. Plin. X, 81.

quid veluisse e Dionis orationibus in ecclesia habitis apparet¹⁾ e Dione colligo. Quamvis autem saepius concio populi apud Prusanos commemoretur, Trajani aetate cives nonnisi venia a praeside provinciae impetrata, a magistratu sive a proconsule ipso convocati conveniebant.²⁾ Quam praecisa autem et deminuta omnino jurisdictio magistratuum et concionum fuerit, e Dionis caussa apparet, quum Asclepiades magistratus Plinio, tum temporis praesidi provinciae eam referret³⁾, qui Trajano eam dijudicandam reliquit. Dioecesi enim instituta, proconsul Romanus Prusae, ut in aliis majoribus Bithyniae urbibus conventus habuit⁴⁾, in quibus omnes causas graviore a proconsule, tractatas, tributa et vectigalia exacta nec non pecuniam publicam excussam esse vix est, quod moneam. Quod autem ad tributa attinet Prusanis, utpote juri provinciali additis nec ullo libertatis et immunitatis privilegio exemptis tributa soli et capitis solvenda fuisse, e statu et conditione urbium subjectarum consequitur.

Quando autem haec dioeceseos jura a Trajano Prusanis tributa sint, difficile est dijudicatu, id tamen suspicari licet, jam antequam Plinius proconsule Bithyniam regeret, Prusanos iis usos fuisse, quum apud Plinium quidem nulla novae dioeceseos mentio inveniatur. Iam autem ante Plinii adventum statim post reditum Dionis ex longiore exilio Prusae dioecesein constitutam esse Dionis loco⁵⁾ concludo. Si quid autem video Dio ipse imprimis effecit, ut Prusanis haec nova jura a Trajano donarentur, quum saepius ille in orationibus in patria habitis, indigetet, se adjuvante Prusam in meliorem conditionem pervenisse.⁶⁾ Fortasse autem Rufo Vareno praeside illa

¹⁾ Hos autem magistratus et bulcutas in concione populi χειροτονία electos esse, quamquam plerumque in ceteris Bithyniae civitatibus a censoribus legebantur e Dione apparet cf. or. 44, 45, 47 Plin. X, 112, 113 Dio 45 p. 207.

²⁾ Dio 45, 211, τότε δ' οὖν τοῦ ἡγεμόνος — καὶ συναγαγόντος ἐκκλησίαν οὐ προσιδόντος ἐμοῦ 48, p. 236 πρῶτον μὲν, — τῷ κρατίστῳ Οὐαρηνῷ δεῖ χάριν ἡμᾶς εἰδέναι καὶ διὰ τὴν ἄλλαν προθυμίαν ἣν ἐπιδέδεικται πρὸς τὴν πόλιν καὶ ὅτι βουλευμένοις ἡμῖν ἐκκλησιασάσαι πάλιν ἐφῆκεν οὐ μόνον ἐτοιμῶς ἀλλὰ καὶ ἡδέως.

³⁾ Plin. X. Cum Prusae ad Olympum vacarem Asclepiades magistratus indicavit appellatum me a Claudio Eumolpo. Cum Coccejanus Dion in hule adsignari civitati opus ecius curam egerat vellet, tum Eumolpus adsistens Flavio Archippo dixit, exigendam esse rationem operis, antequam reipublicae traderetur, quod aliter, fecisset ac debuisset cf. Dio 50 περὶ τῶν ἔργων ἐν βουλῇ.

⁴⁾ Plin. l. c. Marquardt III, 1 p. 265. Num Asclepiades archon fuerit, dijudicari nequit, quum magistratus nominetur neque de singulari officio eius aliquid addatur.

⁵⁾ Dio 45, p. 203. cf. Dionis vitam a Valesio in emendationum libro c. I. enarratam, Kayser ad Philostrat. vit. soph. p. 172 Imperius de exilio Dionis (Brunsvigae p. 5—7).

⁶⁾ Dio 45, p. 202, 204, 211; sq. Dionem a Nerva venia redeundi in patriam impetrata, circa annum 98—99 rediisse e loco Dionis 45 p. 202 „τελευτήσαντος οὐ ἐκείνου (Domitiano mortuo) καὶ τῆς μεταβολῆς γενομένης ἀνῆλθεν μὲν πρὸς τὸν βέλτιστον Νέρβαν ὑπὸ δὲ νόσου χαλεπῆς κατασχεθεὶς ὅλον ἐκείνον ἐξημιώθη τὸν καιρὸν, ἀφαιρεθεὶς αὐτοκράτορος φιλανθρωποῦ κ' αὐτὸς ἀγαπῶντος καὶ πάλαι φίλου“ apparet quamvis gravi morbo detentus non statim venia redeundi uti posset. Sed non minus autem quam Nervae, Trajani familiaritate Dionem usum fuisse, adeo ut in consessum vehiculi saepe illum admitteret et ad eum conversus haec dicere soleret „quid loquaris, inquit, nescio: Ceterum te amo non minus, quam me ipsum.“ Philostratus refert. cf. Vales. Dion. vit. Num vero Dio Chrysostomus rhetor idem fuerit, qui a Plinio Dio Coccejanus Plin. 81, 82 exhibetur, etsi minus ad nostram rem pertineat, mihi tamen certissimum esse videtur. Quodsi enim statuimus, librum epistularum C. Plinii et Trajani non subditum esse, id quod contra Heldium prolegg. ad librum epp. X, Schweidnitz 1833, et Kayserum ad Philostrati vit. soph. p. 172 ff., qui totum hunc librum spurium et interpolatum esse statuunt, alio loco idoneis argumentis comprobabo, valde Valesii arridet sententia, Dionem rhetorem a Nerva Coccejano imperatore nomen Coccejani duxisse, quam summam inter Dionem et Nervam intercessisse familiaritatem, e loco supra adscripto cf. Dio 45, p. 202 apparent. Quum autem Dio Chrysostomus se accusatum esse significet quod porticus in thermis et ergasteria aedificaverit cf. or. 46, p. 216 „ὅτι γὰρ διὰ τὰς στοὰς ἐπὶ τῶν θερμῶν ὠκαδόμηκα καὶ ἐργαστήρια τοῦτο γὰρ ἐστίν, ὃ φασιν ἐννοεῖ ἀδικεῖσθαι ὑπὸ ἐμοῦ τὴν πόλιν“ quae optime cum Plinii epistula 81 — »As-

Prusanis contigisse e Dionis loco et titulo mutilato, in quo Varenus patronus Prusae propter merita in Prusanos eximie laudatur, mihi suspicandum esse videtur.¹⁾

Quamquam autem Prusa Trajani aetate iuribus ei tributis magna incrementa cepit, conditio ejus interna nequiquam felicissima fuisse videtur. Ut enim de libertate, quam vehementer Prusani appetebant, non impetrata, taceam, cives ipsi adeo inter se dissidebant, ut Dion saepius missis simulatibus ut concordēs fierent, eos adhortaretur.²⁾ Imprimis autem Prusa urbs eranis, sive hetaeriis, vexata fuisse videtur, de quibus ipsis, quid statuendum sit, Plinius Trajanum interrogavit.³⁾ His autem haetariis factum esse videtur, ut, quum haud ita diu, antequam Plinius Bithyniae praeesset, proconsul quidam Romanus graviter in Prusanos animadverteret⁴⁾ et Dio ipse accusaretur, cui fortasse et Christianam doctrinam crimini datam esse e Dionis loco intra adscripto colligo.

Quam eximia autem Dio Prusanis prospexerit, non tantum ex his, quae modo de Dione et de nova Prusae conditione enarravi, sed etiam aliis Dionis orationibus comprobatur. Imperatris enim dioeceseos iuribus, non tantum operam ille navavit, ut cives concordēs fierent, sed

clepiades magistratus indicavit appellatum me a Claudio Eumolpo. Cum Coccejanus Dion in bule adsignari civitati opus, cuius curam egerat, vellet, tum Eumolpus adsistens Flavio Archippo dixit, exigendum esse a Dione rationem operis, antequam reipublicae traderetur etc. congruunt, his ipsis Kaysero et Emperio p. 5, refutatis »Coccejanium« agnomen Dionis Chrysostomi fuisse, mihi satis probabile videtur. Quae si recte disputavi, epistulas 81 et 82, ad Dionem Chrysostomum jure meo retuli. Vix autem est cur moneam, erravisse Kayserum, qui quum Dionem a Nerva nomen Coccejani, quod nonnisi in Plinii epistulis 81 et 82, occurrit, recte statuerit, totum Plinii et Trajani epistularum librum cum Heldio subditum esse, opinatur. Ex tota autem hac disputatione id etiam redundat, Dionem orationem 46 eo tempore, quo Plinius in provincia Bithynia versatus est circa annum 109—110 p. Chr. n. habuisse cf. Marquardt zur Statistik der römischen Provinzen 1854, p. 3.

¹⁾ Dio 48, p. 236 πρῶτον μὲν, ὃ ἄνδρες τῷ κρατίστῳ Ὀδαργῶ δαΐ χάριν ἡμᾶς εἰδέναι καὶ διὰ τὴν ἄλλην προθυμίαν, ἣν ἐπιδεδεικται πρὸς τὴν πόλιν, καὶ ὅτι βουλευμένοις ἡμῖν ἐκκλησιάσαι πάλιν ἐφῆκεν cf. Marini Atti del fratri Arvali II tab. LVIII, p. 767. Kuhn Beiträge zur röm. Verfassungsg. p. 76 Nullo pacto autem Schoenemann p. 30 credam, Pomponium Rufum Varenum fortasse jam Domitiano imperatore Bithyniam provinciam sortitum esse, quod ex Dionis oratione, in qua Rufus Varenus praeses provinciae laudatur, apparet, Prusam jam dioeceseos iura, quae a Trajano ei tributa erant, obtinuisse. Si quid autem video, Pomponius Rufus Varenus nonnisi perpaucos annos ante Plinium Bithyniae praefuit cf. Plin. IV, 9, VII, 10, neque ante Julium Bassum sed post illum, ut recte Marquardt III, 1 p. 150 statuit, in Bithyniam missus est. Aliter statuit Mazochius Calend. Neap. II, 373, cf. Masson vita Plinii p. 136. Schoenemann I. c.

²⁾ Dio 48, p. 241 cf. 44, 192.

³⁾ Plin. X, 96, 93 et 33. »Sed meminerimus, provinciam istam et praecipue eas civitates ejusmodi factionibus esse vexatas.

⁴⁾ Dio 43, p. 192 „ἡ δ' ἐμὴ γραφὴ μείζων καὶ γενναϊότερα σχεδὸν ἦν, κορυφαία τις, ὡς εἰκέν· Ἀδικεῖ Δίῳ, τοὺς μὲν θεοὺς μὴ τιμῶν, μήτ' ἐν θυσίαις, μήτ' ἐν ὕμνοις καταλύων τὰς πατρίους ἐορτάς, ἀναπείσας δὲ ἡγεμόνα πανηγρὸν ὥστε τὸν μὲν δῆμον βασανίσαι καὶ ἐξελάσαι ὅσους ἀνδύνηται πλείστους — συμπτράτων δὲ καὶ νῦν ἅπαντα τῷ τυραννήσαντι τοὺς θεοὺς καὶ ὅπως ἐκείνος καλῶς ἀγωνίζεται καὶ κατὰ κράτος παραλήφεται τὰς πόλεις καὶ τοὺς δῆμους — κατασκευάζων.“ Christianam doctrinam jam ante Trajani aetatem in Bithyniam propagatam esse, e priore Petri apostoli epistola circa annum 64 conscripta I, 1, Πέτρος ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Ἰόντου — καὶ Βιθυνίας suspicor (cf. Huther Comm. Vorr. p. 23) Deinde autem e Plinii et Trajani epistulis celeberrimis 116 et 117 hoc consequitur, quum nonnisi, sensim nova doctrina incrementa capere potuerit. Iam autem antequam Plinius Bithyniae praeesset, Patricium episcopum Prusae ad Olympum a Julio Basso proconsole necatum esse, satis constat cf. Mazochi Cal. Neapol II, 354—359, neque a veri specie abhorret Julium Bassum eundem ἡγεμόνα πανηγρὸν fuisse, quem Dio reprehendit. Etsi autem non satis constet, quo anno Bassus Bithyniam rexit, e Plinii epistulis IV, 9, V, 20, VI, 29, X, 56 id quidem apparet, eum circa annum 96 sive 97 in Bithyniam missum esse, id quod alio loco accuratius comprobabo. Aliter de Basso Mazochius in comm. ad Calend. Neapol II, 373 et Schoenemannus p. 32 statuunt.

etiam ut pecuniae publicae bene administrarentur, quas antea male collocatas fuisse, ipse enarrat.¹⁾ Deinde autem, ut Prusae urbis externa facies novis aedificiis ornaretur, ei cordi fuisse, quo factum est, ut postea accusaretur non tantum in orationibus ejus, sed etiam apud Plinium legimus.²⁾

His de interna Prusae conditione enarratis, nonnulla de externis Prusanorum rebus Trajani aetate adjicienda sunt. Cum plerisque Bithyniae urbibus Prusanos commercio conjunctos fuisse, non tantum e viis ad illas munitis, sed etiam inde colligi poterit, quod cives Prusani ab aliis Bithyniae urbibus civitate donabantur.³⁾ Imprimis autem Prusanis cum Apamensibus aetam quandam vicissitudinem intercessisse e Dionis orationibus, quibus concordiam inter Prusam et Apameam, brevi antequam Plinius Bithyniae provinciae praeesset dissolutam, restituit⁴⁾ consequitur. Ut autem nonnulla ex illis afferam, laudat Dio in oratione Prusa habita Apamenses, quod eximia uterentur civitate, neque iisdem, quibus ceterae Bithynicae urbes, juribus tenerentur. Primum autem concordiam cum Apamensibus restituendam esse, quod ipsi per portum illorum suas merces emitterent aliasque cum Prusanis, qui ligno et aliis rebus quibus Prusa abundaret, uterentur, commutarent. Deinde autem Apamenses confines, ad quos quotidie, sit commeatus, connubiis civitate et communibus festorum⁵⁾ cum Prusanis conjunctos esse. Ita odio Prusanorum sedato, Dio similiter Apameae in concione locutus, gratiam inter utramque urbem reconciliavit.⁶⁾

Quaenam autem post Trajani aetatem sortes Prusanorum fuerint, vix in scriptorum silentio et titulorum inopia constitui poterit.⁷⁾ Septimio autem Severo imperatore iis neocoratum tributum esse, e numo, in quo templum hexastylum apparet, suspicandum esse videtur⁸⁾ quem honorem et postea Prusanis saepius contigisse e numis Caracallae et Juliae Maesae apparet.⁹⁾ Bithynia deinde anno 259 a Gothonibus vastata¹⁰⁾ et Prusam opes suas amisisse, conjicere licebit, quamquam non funditus eam tum eversam esse, inde consequitur, quod in posteriore Bithyniae divisione provinciae Ponticae primae¹¹⁾ adjecta est.

¹⁾ Dio 48, p. 236 et 237. Perperam Valesius, Doeringius, Schoenemannus, alii epistulas X, 17, 18, 70 et 71 huc referunt cf. Prusias ad mare.

²⁾ Plin. 81, 82. cf. Dio 46 p. 216. Quamvis autem Dionem absolutum esse, verisimile sit, hanc novem causam cum permovisse arbitror, ut iterum patria relicta, Romam rediret. Haec si recte suspicatus sum, statui poterit, Dionem inde ab anno 97 sive 98 cf. Dio 45 p. 202 quo patriam rediit usque ad annum 110 Prusae vixisse. Ad hoc autem tempus ipsum orationes Dionis 41, 42, 43, 44, 45, 47, 48, 49, 50 et 51 e mea computatione referendas esse, inde consequitur.

³⁾ Dio Chrysostomus non tantum ab Apamensibus sed etiam a Nicomedensibus civitate donatus erat cf. 41 p. 181, cf. 38, p. 129, cf. Dio 170 R.

⁴⁾ Si quid video, certamen de propompia in communibus ludis in Deorum sive imperatoris cultum celebratis inter utramque urbem exortum erat.

⁵⁾ Dio 40 cf. imprimis p. 173. Refutatur hoc loco Marquardus III, 1 p. 154 ab Hadriani demum aetate communia festorum in Bithynia fuisse, suspicatus.

⁶⁾ Dio 41 p. 182 et 183. Dio se ipsum civem Apamensem esse enarrat, quum pater ipsius ab Apamensibus civitate donatus sit. Q. Pompejus urbibus Bithyniae permiserat, ut, quos vellent, dum ne quem earum civitatum quae in Bithynia erant, cives sibi adscriberent. Sed longa consuetudine lex Pompeja aboleverat cf. Plin X, 113 et 114.

⁷⁾ cf. Boeckh. C. I. II, 3717—22: Mionnet Supplement V, p. 226.

⁸⁾ Krause urbes neocorae p. 34.

⁹⁾ Mionnet I. c. p. 229 n. 1353 ff.

¹⁰⁾ Zosim I, 34. Trch. Gt. c. 6. Clinton fasti Rom. p. 282.

¹¹⁾ Hierocl. itin. vet. ed. Wesseling p. 692. Boecking not. dign. p. 132.

III.

Prusias ad mare (Cius).

Prusias urbs in extrema parte orientali sinus Ciani ad Cium et Hylam fluvios, in eadem regione eratsita, in qua Milesii circa olympiadem XXXVII. Cium urbem, sive condiderant, sive colonia adauxerant.¹⁾ Vix autem quispiam Stephano (sub voce Ἀργανθωνίς) crediderit, Cium sive Polyphemum in Hylae honorem olim urbem in hac regione condidisse, quum ea quae a Strabone de Hylae subita morte et de cultu ejus et posteriore aetate a Prusiensibus in vicino Arganthonio monte celebrato, narrantur id solum comprobent, jam satis antiquo tempore Hylae cultum Cianiis fuisse familiarem.²⁾ Quodcunque autem statues, num antiquam urbem, antequam Milesii huc pervenerint in hac regione exstitisse, an Cium ipsam a Milesiis conditam esse, tibi persuaseris, certe quidem Cius non ante saeculum quintum a scriptoribus nominatur, neque id quidem notum est, quatenam inter Cium et Miletum intercesserit vicissitudo. [Ciani autem libertatem ab externis populis usque ad annum 497 servavisse videntur, quo Hymeas Persarum dux eam occupavit cf. Her. V, 122, „Υμέης δὲ καὶ αὐτὸς ἐὼν τῶν ἐπιδιωζάντων τοὺς ἐς Σάρδεϊς στρατευσαμένους Ἴώνων τραπόμενος ἐς τὴν Προποντίδα εἰλε Κίον τὴν Μυσίην“³⁾ quo facto Persae ut in plerisque urbibus Asiae tyrannos ibi constituisse videntur. Hos vero, Persarum opibus fractis, expulsos esse, vix est quod dubitemus, licet neque apud scriptores, neque in lapidum et numorum titulis de sortibus Cii urbis hac aetate aliquid narretur. Sub initia vero regni Pergameni Cianos liberos neque Bithyniae regibus subjectos fuisse, inde colligitur, quod Nicomedes I. quocum Ciani foedus pepigerant eos simul cum Byzantinis et Heracleotis tuores liberorum instituit.⁴⁾ Haud ita diu autem Cianiis foedus cum Bithyniae regibus mansisse, inde apparet, quod brevi post mortem Nicomedis I. cum Chalcedoniis ad Aetolos se applicarent, quibus Cianos non tantum foedere, sed sympolitia conjunctos, fuisse e Polybii locis XVII, 3, 12 Schweigh. Κιανὸς μετ' Αἰτωλῶν συμπολιτευομένους et 15, 23, ubi Aetoli apud Philippum Macedoniae regem queruntur, quod urbem, foederatam praetore (πρῶτος) suo ibi praesente deleverit probatur.⁵⁾ Certe autem statum et conditionem internam civi-

¹⁾ Strabo XII, p. 564. Raoul-Rochette histoire des colonies grecques II, p. 202 et l. i. c.

²⁾ O. Müller prol. p. 108.

³⁾ Cius autem tum Mysiae adjecta erat.

⁴⁾ Memnon apud Phot. bibl. cod. 224, p. 724 R.

⁵⁾ Erravit igitur Schornius nonnisi foedere Cianos Aetolis junctos fuisse, Schorn Gesch. des aetol. Bundes S. 217.

tatis Cianaë illa aetate tristissimam fuisse, Polybius XV, 21 enarrat, quum pessimo cuique honores deferrentur et imprimis Molpagoras quidam nulla non facinora perpetraret. Post varias autem calamitates, quibus Cius hac aetate obnoxia erat, Philippus rex Macedoniae cum Prusia I. Bithyniae rege, sororis suae marito, eam anno 204, quamquam brevi autem cum Aetolis pacem inierat, ferro et igne delevit et Prusiae I. reliquit, qui in eodem loco, quo Cius sita erat novam urbem Prusiadem condidit¹⁾ id quod non solum Strabonis et Polybii locis adscriptis sed etiam numis Prusiadis urbis comprobatur.²⁾

Haud ita diu autem Prusias ad mare in ditione regum Bithyniae mansit, quum senatus Romanus anno 146 omnes Graecos in Asia et Europa liberos esse decerneret, atque T. Flaminio, ut de Cii urbis libertate ad Prusiam scriberet, mandaret, cf. Dio 33, 31. Pol. 18, 27. τοὺς μὲν ἄλλους Ἕλληνας πάντας τοὺς τε κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ κατὰ τὴν Εὐρώπην ἐλευθέρους ὑπάρχειν — περὶ δὲ τῆς Κιανῶν ἐλευθερώσεως Τίτον γράφει πρὸς Προυσίαν κατὰ τὸ δόγμα τῆς συγκλήτου.³⁾ E Polybii loco ipso autem consequitur, Prusiadem libertatem sive speciem libertatis hoc tempore recepisse, quum Prusiae regi omnino a nutu Romanorum pendenti vix profuturum fuisset, si Prusiensibus libertatem detrectavisset. Satis autem memorabile est, quod Romani urbibus nonnullis in Bithynia, quae nondum in provincia formam redacta erat, libertate concessa, socios comparare conabantur, quippe qua non tantum Prusias sed etiam aliae urbes Bithyniae hac ipsa aetate donarentur.

Nicomede autem III, anno 679 p. u. e. mortuo, Mithridates Magnus praeter alias liberas Bithyniae urbes et Prusiadem ad mare occupavit ibique praesidium collocavit, quod iam anno 682 a Romanis, Prusiensibus ipsis adjuvantibus, expulsum esse e Strabone et Memnone colligitur.⁴⁾ Apparet autem Prusienses, Mithridatis opus expulsis propter fidem in Romanos, ab his libertatem recepisse, quam libertatem ipsam deinde a Pompejo Bithynico qui anno 65 Bithyniam in provinciae formam redegit,⁵⁾ accuratius constitutam esse, non est quod dubitemus. Neutiquam enim Strabonis locum ita intelligendum esse, Prusienses a praesidio Pontico tantum liberatos, esse, inde consequitur, quod Romani Apameam colonos, qui incolae coercerent (οἱ δ' Ἀπαμεῖς ἀποικίαν ἐδέξαντο) miserunt et hac quidem aetate omnibus urbibus quae fidem servaverant libertatem sive relinquebant, sive donabant. Quae si recte disputavi Marquardus⁶⁾ et Schoenemannus erraverunt, Prusiadem sub Romanorum imperio libertatis privilegio omnino non usam fuisse arbitrati.

¹⁾ cf. Strabo XII, p. 564. „κατέσκαψε τὴν Κίον ὁ Φίλιππος ὁ Δημητρίον μὲν υἱός, — ἔδωκε Προυσίᾳ τῷ Ζήλᾳ συγκατασκάψαντι καὶ ταύτην καὶ Μόρλειαν ἀστυγείτονα πόλιν — ἀναλαβὼν δ' ἐκεῖνος ἐκ τῶν ἐρείπειων αὐτὰς ἐπώνόμασεν Ἀπάμειαν ἀπὸ τῆς γυναικὸς οὗτος δ' ἐστὶν ὁ Προυσίας. ὁ καὶ Ἀννίβαν δεξιόμενος cf. Pol. XV, 23, πρῶτον μὲν προσηγάγετο τὴν Λυσιμαχέων πόλιν — τρίτην δὲ τὴν Κιανῶν ἐξηνδραποδίσας στρατηγὸς παρ' Αἰτωλῶν ἐν αὐτῇ διατρίβοντος καὶ προσετώτος τῶν κοινῶν“ Eckhel II, p. 430. Mionnet Suppl. V, p. 247.

²⁾ Vix autem est, quod Valesium in emendationum libro I, p. 48 et Vaillant in Achaemenidarum imperio p. 319 sententiam refutam, qui Memnonis errore p. 739 R. seducti Prusiadem ad mare omnino non exstisse statuerunt.

³⁾ Refutatur hoc loco illustris Clintonus in fastis Hellenicis III, p. 418 qui nimis Zonarae IX, p. 465 D. laxius et minus accurate narranti tribuens iam anno 149 Prusiam II, mortuum, sive interfectum esse statuit.

⁴⁾ Memn. p. 739 ff. ὁ Τριάρχιος ἐπὶ Προυσιάδα τὴν ἐπιθαλάσσιαν μετὰ τῆς δυνάμεως παρέγινε — παραγεγονότα δὲ ῥαδίως οἱ Προυσιεῖς ἐδέξαντο τοὺς Ποντικούς διωσάμενοι cf. Str. 12, 564, πολιτευσάμενοι δὲ πρὸς Ῥωμαίους οἱ Προυσιεῖς ἐδονικῶς ἐλευθερίας ἔτυχον — οἱ δ' Ἀπαμεῖς ἀποικίαν ἐδέξαντο. cf. App. Mithr. c. 77.

⁵⁾ Erraverunt Marquardus III, 1 p. 148 et Schoenemannus de Bithynia et Ponto provincia Romana p. 2. Bithyniam anno 63 a. Chr. n. ordinatam esse rati cf. Plut. Pomp. c. 18, cf. c. 36.

⁶⁾ Marq. III, 1 p. 453, Schoen.

Quod autem jura libertatis, quibus Prusias hac et insequenti aetate sub Romanorum imperio utebatur, attinet, vehementer quidem dolendum est, nihil certi de iis constare, quum Plinii Secundi aetate, qui uberrime de juribus singularum Bithyniae urbium egit, Prusienses libertatem amisissent, id tamen in universum e conditione urbium liberarum affirmari poterit, Prusiam, utpote urbem liberam a praesidio militari et imperio praesidis provinciae exemptam nec non autonomiam quandam et domestica instituta ei relicta fuisse. Neque tributum soli Prusiensibus, pendendum fuisse e statu et conditione urbium liberarum hac quidem aetate colligi poterit, quamvis vix credibile sit, eos prorsus immunes fuisse, quum immunitas peculiari dono libertati addi soleret ¹⁾

Haec autem libertas ipsa, qua Prusienses utebantur, magis magisque deminuta est, cum Bithynia provincia Caesaris facta esset. Id quidem e Strabonis loco supra adscripto colligendum esse videtur, Prusiam Augusto imperatore liberam fuisse, sive umbram quandam libertatis retinuisse, quam postea sensim extinctam esse, non negaverim. Nihilo minus tamen Prusienses nomine quidem vel Claudii imperatoris aetate Prusienses liberos fuisse e titulo mutilato suspicor, cf. Boeckh. C. I. II. 3726. e quo id quidem apparet, Claudium Prusiensibus eximie fuisse. Ut autem titulum illum ipsum adscribam

„ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος Τιβερίον Κλαύδιον Ιουλιανὸν τὸν Σεβαστοφάντην καὶ εὐεργέτην καὶ ἐπιστάτην τῆς πόλεως πάντα καὶ λέγοντα καὶ πράττοντα τὰ συμφέροντα τῇ πατρίδι καὶ διὰ τὸ χαριεὲν παρὰ τῷ Σεβαστῷ διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν ἐκπεμφθείσης πρεσβείας — — κτήσιν τῆς γῆς.“ ²⁾

Claudium Julianum quendam sacerdotem Claudii (σεβαστοφάντην) commoda nonnulla a Claudio Prusiensibus impetrasse legimus, quamvis quatenus illa praeter accessionem terrae fuerint, quum nonnullae litterae evanidae factae sint, dijudicari nequeat. Prusienses autem grato animo Claudium coluisse, non tantum ex hoc titulo sed etiam e Plinii Secundi loco X, 70 Keil apparet, ubi Claudium quendam Polyaenum Claudio Caesari domum legavisse et templum in peristylis ei aedificari iussisse narratur. ³⁾ Sub sequentibus autem imperatoribus in statu et conditione provinciali Prusiae urbis aliquid mutatum esse e Plinio ⁴⁾ colligendum esse videtur, qui Chalcedonis et Cii urbium mentione facta, Chalcedonem liberam nominat nec quidquam de Cii sive Prusiae urbis libertate addit. Accedit, quod nomen Plancii proconsulis, qui Vespasiano imperatore Bithyniae praefuit, in numis Prusiensium legitur, ⁵⁾ unde facilis oboritur suspicio hac, quidem aetate Prusienses libertate non usos fuisse. Certe quidem Trajani aetate Prusiam nullo libertatis privilegio ornatam fuisse e Plinii Secundi epistulis ad Trajanum datis consequitur.

Priusquam autem de conditione Prusiae urbis sub Trajano et sub sequentibus imperatoribus disputabo, nonnulla de Plinii epistulis X, 17, 18, 70, 70 praemittenda sunt, quum vix

¹⁾ cf. Plebiscit. de Therm. lin. 45. Dirksen Versuche zur Kritik und Auslegung der Quellen des röm. Rechts p. 165. Marq. III, 1 S. 249 ff. und S. 253, 28, 29. App. B. C. I, 102 et l. c.

²⁾ In ultima linea Boeckhius κτήσιν τῆς γῆς agnoscit.

³⁾ Claudium imperatorem etiam neocoratus honorem Prusiensibus tribuisse, quum prima mentio ejus in hoc titulo occurrat, verisimile est. cf. Krause urbes neocorae p. 15. Illum autem Claudium „Polyaenum,“ quem Plinius nominat, fortasse Claudium Julianum ipsum fuisse suspicor, quum satis facili errore nomen „Julianus“ a librariis cum nomine „Polyaenus“ commutari potuerit.

⁴⁾ Hist. nat. V, 32 u. 43.

⁵⁾ Eckhel d. n. II, 436. Mionnet Suppl. V, 172—173.

credibili errore interpretes ¹⁾ eas ad Prusam urbem ad Olympum montem sitam referant. Huic autem sententiae primum obstat, quod Plinius alteram illam urbem, cui Gierigius, Valesius alii epistulas illas vindicaverunt »Prusam ad Olympum nominat cf. X, 81.« Deinde autem Plinius enarrat, ²⁾ se Epheso Pergamum, Pergamo in Bithyniam navi profectum esse, unde apparet eum in primo provinciae introitu non res urbis Prusae ad Olympum, quae in australibus finibus Bithyniae sita erat (cf. Mannert tabul. Peut. VII) sed urbis Prusiadis ad mare sitae, quo primum pervenit, ordinavisse. Haec si recte dixi, omnia ea quae in epistulis illis de Prusiade urbe leguntur jure quodam ad Prusiadem ad mare sitam referre mihi videor.

Sed ut ad id, unde profecti eramus, revertamur, apparet ex iis, quae ex epistula Plinii ad Trajanum data infra adscripsi, Prusiadem hac ipsa aetate, libertatis privilegiis non amplius usam et praesidis curae obnoxiam fuisse, quum Plinius statim in ingressu provinciae impendia, reditus et debitores civitatis cum Maximo liberto Trajani et procuratore cf. Plin. X, 27 executeret. Illas autem reipublicae reditus ipsos male administratos fuisse, quum multae pecuniae a privatis detinerentur, aliae minime legitimis sumptibus erogarentur, ex iis quae Plinius ad Trajanum scripsit satis liquet. Eo magis autem cura Trajani laudanda est, qui Plinium ita agere jussit, ut provincialibus manifestum fieret, a Trajano sibi prospici. Inprimis autem Plinius curavit, ut foeda urbis facies ornaretur, aedificia vetustate collapsa repararentur, nec quidquam negligetur, quod ad urbem amplificandam usui esset. ³⁾ Quam bene autem Trajanus per Plinium suum Prusiensibus prospexerit imprimis ex rescripto ejus ad Plinium, ⁴⁾ qui de balineo aedificando eum interrogaverat, cognoscitur.

Apparet aut ex iis, quae modo disputavi, Prusiadem urbem, quamquam praesidis curae obnoxia erat, Trajani cura in meliorem statum pervenisse. Nova deinde beneficia Hadrianus in Prusienses contulit, neocoratus honore iis concesso, id quod tum e numis Prusiadis urbis, in quibus „ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΚΙΑΝΩΝ“ legitur ⁵⁾, tum lapidis titulo cf. C. I. II, 3725 „αὐτοκράτορα Καίσαρα — Ἀδριανὸν Σεβαστὸν — Οὐλπίος Λούπος ὁ δις ἱερεὺς αὐτοῦ“ perspicuum est. Qua ratione autem antiqua Graeca Prusiadis urbis instituta posteriore aetate extincta sint, e titulis apparet, quum, Alexandro Severo imperatore, praetores Prusiade reipublicae praeesent ⁶⁾ et decem primi tributa exigerent. ⁷⁾ Quamquam autem in scriptorum silentio post Trajani aetatem perpauca tantum de sortibus Prusiadis comperta sunt, id tamen affirmare ausim, eam, ut Nicomediam, Nicaeam, alias urbes, majori civitati non adjectam fuisse, quum a Claudio imperatore usque ad Saloninum numos sig-

¹⁾ Doering edit. II, p. 310. Gierig II, p. 419. Valesius in emendationum libro. II, 48 ff.

²⁾ Plin. X, 17. Sicut saluberrimam navigationem, Domine, usque Ephesum expertus ita inde — Pergami substiti, Rursus quum transissem in orarias naviculas — Bithyniam intravi. Nunc reipublicae Prusensium impendia, reditus debitores exculio, quod ex ipso tractatu magis necessarium esse video. Multae enim pecuniae variis ex causis a privatis detinentur, praeterea quaedam minime legitimis sumptibus erogantur. Haec tibi Domine in ipso ingressu meo scripsi — Ita certe prospicio ex ratione Prusensium, quam cum Maximo tracto.

³⁾ Keil X, 21, 22.

⁴⁾ Keil X, 22. »Si instructio novi balinei oneratura vires Prusensium non est, possumus desiderio eorum indulgere, modo ne quid ideo aut intribuant, aut minus illis in posterum fiat ad necessarios erogationes.«

⁵⁾ Krause urb. neoc. p. 7—13. Eckhel II, p. 431 ff. Mionnet desc. V, Suppl. p. 248.

⁶⁾ Eckh. II, p. 437.

⁷⁾ C. I. II, 3732. Arcad. Charis. I, 18, D. de mun. §. 26. Marq. III, 1, p. 387.

naret, in quibus Hadrianus, a quo Hadrianos¹⁾ Prusienses se nominaverunt et Septimius Severus inprimis celebrantur. Nullo pacto autem Schoenemanno credendum est *μνηστικὸν θίασον*, qui in titulo²⁾ ad ludos, qui in honorem imperatorum dati sint, referendum esse, quum nulla horum mentio neque apud scriptores neque in titulis occurrat.³⁾

Inprimis autem sub imperatoribus Prusiam commercio maritimo floruisse satis constat.⁴⁾ Sed etiam cum mediterranea Bithynia et majoribus hujus provinciae urbibus commercium aetate imperatorum ei fuisse, inde colligitur, quod ad plerasque viae munitae erant⁵⁾

Sed jam anno 259 post Christum natum Prusias, ut pleraeque Bithyniae urbes a Gothonibus adeo vastata est, ut opes suos prorsus amitteret⁶⁾ neque postea illas recuperaret. In Byzantina deinde Bithyniae divisione Prusiam Honoriadi provinciae adjectam esse, ex Hierocle apparet.⁷⁾ Quoniam autem in media et recentiore aetate sortes Prusiae fuerint, ad meam rem minus pertinere putavi.

¹⁾ Mionnet Suppl. V, p. 248.

²⁾ C. I. Gr. 3727.

³⁾ *Θίασον* illum ad eranos illos spectare suspicor quos Plinius Secundus X, 93, 97 et 43 per totam provinciam propagatos esse enarrat, cf. Holst de eranis Graecorum. K. Fr. Hermann Staatsalt. §. 146, 9. Mommsen de sodalitiis p. 45.

⁴⁾ Plin. hist. nat. V, 32, 43. C. I. 3733.

⁵⁾ C. I. 3743, tab. Peut. VIII.

⁶⁾ Zosim. 34, 35. Clinton fasti Romani p. 282 et l. c.

⁷⁾ Hierocles in itin. vet. ed. Wesseling p. 634.

